

formam et colorem nec non nonnulla alia signa *Agapanthiae Kirbyi* Gyllh. similis est, ergo ab *A. persica* m. facillime distinguenda.

10. **Phytoecia mucida**, sp. n.


Major, validiuscula, nigra, tota (prothorace pedibusque pro parte exceptis) tenuiter denseque virescenti- seu glaucescenti-cinereo-tomentosa, tomento praecipue in elytris densissimo, cum mucore multum similitudinis praebente; prothoracis fascia lata mediana postice profunde trisinuata nec non femorum omnium tiliarumque 4 anteriorum latere externo testaceis. Antennis apicem elytrorum haud attingentibus, sat fortiusculis, apicem versus in sexu utroque distincte attenuatis, articulo ultimo apice subacuminato, scapo sat crasso, simplici, articulo 3° primum non, quartum vix superante. Mandibulis integris et acutis. Capite amplo, in ♂ toto (fronte denudata excepta) pilis tenuibus erectisque griseis sat copiose (praesertim in vertice) obsito, vertice praeterea glaucescenti-cinereo-tomentoso, in ♀ maxima ex parte glabro (semperne?), vertice et occipite sat crebre sed non profunde et fere variolose punctatis, sulco longitudinali omnino destitutis, fronte convexiuscula microscopice coriacea, leviter subnitida, minus confertim subtiliusque punctata; genis articulum 2<sup>um</sup> antenarum paulo superantibus; oculis profunde emarginatis, fere divisis. Prothorace brevi et fortiter transverso, longitudine duplo latiore, lateribus inde a basi usque ad  $\frac{2}{3}$  valde dilatato ibique summam latitudinem caput distincte superantem attingente, apice abrupte lateque constricto et trans totam superficiem late subdepresso; basi vix constricto et secundum marginem basalem obsolete subsulcato; disco majore pro parte denudato, vadose et obsolete sed sat crebre punctato, subopaco, tuberculis laevibus nigris tribus in medio in triangulum dispositis nec non singulo tuberculo minus evoluto utrinque supra marginem lateralem sito ornato; margine laterali utrinque usque ad strangulationem apicalem distincte et fere carinatim calloso. Scutello transverso postice

levissime sinuato. Elytris ad humeros prominulos summam latitudinem thoracis paulo tantum superantibus, lateribus apicem versus sat fortiter angustatis, apice recte subtruncatis levissimeque emarginatis, dorso haud impressis, aequabiliter densissime tomentosus, sub tomento crebre minutissime coriaceis irregulariterque sat vadose punctatis; margine basali prope callum humerale distincte breviter emarginato. Coxis posticis in ♂ basi in dentem obtusiusculum productis.

Long. 13 mm.

*Persia borealis* sine indicatione loci magis determinata (W. Petersen). — Duo specimina (♂♀) in coll. P. a Semenow.

E grege *Ph. cephalotis* Küst., *farinosae* Gnglb., *Argi* Fröhl. etc., quarum *Ph. farinosae* Gnglb. proxime accedere videtur; attamen ab hac, sec. ejus descriptionem<sup>10)</sup>, discedit magnitudine majore, colore signaturisque prothoracis, colore tomenti nec non elytris foveolis destitutis. — Hanc speciem clarissimus ille Reitter ad *Ph. farinosam* Gnglb. referendam esse olim judicavit.



<sup>10)</sup> Ganglbauer: Verhandl. Zool.-bot. Gesellsch. Wien. 1885, p. 522.